

LIVRE DIXIÈME.

Nº 4.

LETTER DU ROI LOUIS VII AU PAPE ALEXANDRE III, DANS
LAQUELLE IL DEMANDE VENGEANCE CONTRE LES MEUR-
TRIERS DE THOMAS BEKET¹.

(AN 1171.)

Domino et Patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Ludovicus, Francorum Rex, salutem et debitam reverentiam. Ab humanae pietatis lege recedit filius qui matrem deturpat, neque Creatoris beneficii reminiscitur qui de sanctae ecclesiae illata turpitudine non tristatur. Unde specialius est condolendum, et novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis, quoniam in sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillam Christi gladium infixit, et lucernam cantuariensis ecclesiae non tam crudeliter quam turpiter jugulavit. Excitetur igitur exquisitae genus justitiae, denudetur gladius Petri in ultionem cantuariensis martyris, quia sanguis ejus pro universalis clamat ecclesia, non tam sibi quam universae ecclesiae conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum agonistæ, ut relatum est nobis, divina in miraculis revelatur gloria et divinitus demonstratur, ubi humatus requiescit, pro cuius nomine decer- tavit. Latores vero præsentium, patre orbati, vestræ pietati seriem indicabunt. Testimonio itaque veritatis aurem mitissimam adhibete, et tam de isto negotio quam de aliis, ipsis tamquam nobis credite. Valeat pietas vestra.

¹ Recueil des hist. de la France, t. XVI, p 153.

Nº 2.

LETTER DE THIBAULT, COMTE DE BLOIS,
AU PAPE ALEXANDRE III,
SUR LE MEURTRE DE THOMAS BEKET¹.

(AN 1171.)

Reverendissimo domino suo et patri Alexandro, summo Pontifici, Theobaldus blesensis comes et regni Francorum procurator, salutem et debitam cum filiali subjectione reverentiam. Vestræ placuit Majestati quod inter dominum cantuariensem archiepiscopum et regem Anglorum pax reformaretur et integra firmaretur concordia. Itaque, juxta vestri tenorem mandati, illum rex Angliæ vultu hilari, fronte laeta et pacem spondente, et gratiam sibi referente, recepit. Huic paci et concordia adfui, et me præsente dominus cantuariensis apud regem de coronatione filii sui conquestus est, quem voto festinante et ardenti desiderio in culmen regiæ dignitatis fecerat promoveri. Hujus autem injuriæ reus sibi et male conscientius rex Angliæ, juris et satisfactionis ipsi cantuariensi pignus dedit. Conquestus est etiam de ipsis qui, contra jus et decus cantuariensis ecclesiae, novum regem in sedem regiam præsumpserunt intrudere, non zelo justitiae, non ut Deo placerent, sed ut tyrannum placarent. De illis vero liberam et licentem rex ei concessit facultatem, ut ad vestræ et suæ potestatis arbitrium in eos sententiam promulgaret. Hæc siquidem vobis, vel juramento, vel quolibet alio libuerit modo, attestari paratus sum et sancire. Sic, itaque pace facta, vir Dei nil metuens recessit, ut gladio jugulum subderet et cervicem exponeret ferienti. Passus est ergo martyrum agnus innocens, crastina sanctorum Innocentium die; effusus est sanguis justus, ubi nostræ viaticum salutis sanguis

¹ Recueil des hist. de la France, t. XVI, p. 468.